LACRYMÆ
OB
LUCTUOSISSIMUM QUIDEM AT PLACIDISSIMUM OBITUM
VIRI
ADMODUM REVERENDI NEC NON EXIMII
DOMINI
FAUSTINI BLENNONIS
ADDIV: NICOL: STETINI VET: ANTISTITIS PER MULTOS ANNOS MERITISSIMI VIGILANTISSIMI, UT ET *MINISTERII SACRI SENIORIS* DIGNISSIMI, QUI ANNO MDLXXXII. OCTAVO FEBR: NATUS VII. VERO NOVEMB: ANNI CURRENTIS MDCXLI. BEATISSIME DENATUS CORPUS EXANIME SUIS TERRÆ OMNIUM NOSTRUM MATRI DEMANDANDUM RELIQUIT
FUSÆ
AB AMICIS AC FAUTORIBUS BENEVOLIS.

STETINI, typis RHETIANIS

In Reverendum

DN. FAVSTINVM BLENNONEM
Dominicâ XX. post Ttinitatis ad meliora translatum.

FAUSTINUS Senior fausto pede scandit ad astra,
Cœnam cælestem providus hospes adit.
Hunc non ejiciet Rex Christi veste decorum,
Sed concedet ei gaudia perpetua.

lassâ à morbo mente & manu scribebam.
CHRISTOPH. SCHULTETUS D.

Memoriæ

Reverendi, Religiosi ac Doctissimi

DN. FAVSTINI BLENNONIS,
Senioris Ministerij Ecclesiastici Stetinensis benè meriti, Affinis & Compatris sui, dum vivebat, Amicissimi, qui natus in Stetino Veteri Pomeran.

Anno

Anno Periodi Julianæ 6295. Cyclo ☉ 23. ☽ 6. Indict. Rom. 10. Judaici Computi, quem Hebræi & Rabini recentiores adhibent 5342, die 15. Mensis AdarI, fer. V, cujus Tisri Character est 3. fer. 17.
h. 671/.

Primo Olympiadis 589. & Anno Iphiti Olympiadico 2357. die 16. Antesterioris secundum annum προλαγάας Calippicum, qui fuit communis, & cœpit Hecatombæon ejus Calendis Juliis anni præcedentis Juliani.

Nabonassari 2330, die 20. mensis Phamenoth.

Juliano 1627. die VI. Eidus Februarii

Messiæ τȣ̃ χριςȣ̃ Dionysiano 1582. die 8. Februar. fer. V. mediâ decimâ Vespertinâ, Ascendente 17. Gradu ♎, post Plenilunium:

Defunctus verò placidè

Postquam ultra annum phthisi decubuerat, & animum cum Corpore Salvatori suo JESU CHRISTO mente & sensibus integris, fide, spe & pietate plenus devotè commendaverat.

Anno Æræ Christianæ 1641. die VII. Eidus Novemb. Julian. fer. I. post Plenilunium nondum completo Sexagesimo ætatis suæ anno,

'Οκτάςιχον hoc, ex II. Epistola ad Timotheum capite IV. versiculis 6, 7. & 8. desumptum,

ÆVi maturus, BLENNO, *plenusque dierum*
Et tabe exhaustus mortuus in DOMINO.

Nunc

Nunc ipsum post tot fidei victricis agones
Justitiæ æternæ summa Corona manet.
Quam certò Iudex supremus conferet ipsi,
Venerit extremo qvum dare jura die.
Nec tantùm hoc solus gaudebit honore: sed omnes,
Quos tenet adventus firma cupido DEI.

Solatii ergo consecratum
à
LAVRENTIO EICHSTADIO
Med. D. & Physico Stetinensi
ordinario.

Ad piè defunctum.

Q*Vi*, FAUSTINE, *tuô veteris non tangar Amici*
Funere? Te multùm suaviter usus eram.
Tu mihi Mysta sacrô junxisti fœdere Nuptã:
Hæc illuc præiit, quò modò, subsequeris.
Heu nuper præiit! Caræ quæ vota Maritæ
Sacravi, caro sint quoq; sacra Tibi.
Mollè cubet corpus: teneat mens æthera: jungat
O citò summa Tuos lux Tibi, Teq; Tuis.

Supremi honoris, sinceri amor. & piæ
condol. caus. f.

M. HEINR. KIELMANNUS, Gr. L.
& Poës. Prof. & ConR. Pæd.
Stetin.

Ut non

UT non fuit mortale, quod cupiverat (us
Blenno verendus; neutiquam sic mortu-
Vivit DEO, vivit suis in Filiis.
Ad Nuptias vocatus ipse cælicas
Sacro die*, comparuisse gestiit. *Dom. 20. post. Trin.
Nunc ergo verè faustus est ac dicitur
FAUSTINUS, alto cœlitum superbiens
Honore, plenâ quem manu confert piis
Felicitatis autor & dator DEus.
Beatus ille, cui datur sic vivere!

Affectui testando f.

M. ERICUS PELSHOFER,
SubR. Pæd. Stet.

BLENNO, Ministerii Senior Mystesq; sacrati,
Quod Sedinenses dogmata sacra docet;
BLENNO, tuæ finem cursu contingere vitæ
Jam licuit, placida morte solute, tibi;
Factus es & compos voti tibi sæpè profusi,
Dissolvi ut posses, degere cumque DEO.
Gratulor Egressum, de vitâ labe scatente,
Gratulor Ingressum celsa sub astra tibi.

Est

Est ibi non labes, non est contagio, non est
Tabes, non alius morbus, at integritas.
BLENNONES ergo *Gnati*, BLENNONIS amati
Flete necem modicè Patris; In Arce Poli est
Atque fide lisibia Christo promissa Ministri
Præmia larga capit, gaudia nempe Poli.

l. mq. posuit

M. MARTINUS BAMBAMIUS.

In pium atque placidum obitum

Reverendi & Clarissimi Viri,

DNI. FAUSTINI BLENNONIS
Senioris, ad Div. Nicol. Stetin. Ecclesiast. fidelissimi, integerrimi; passim grassantium Vitiorum Reprehensoris intrepidi. (a)

Qui die 7. Mensis Novembr. currentis 1641. Anni, paulò ante quintam Vespertinam, perverso huic mundo, cum summo ad æternam Vitam migrandi desi-

di desiderio valedixit, & in vera agnitione & invocatione CHRISTI Redemptoris, animam expiravit;

Mæstô animô hoc, quicquid est, fundebat

CASPARUS JANTHESIUS.

DIV. AUGUSTINUS.

Lege, & relege omnium Scripta, & nihil horribilius invenies, quàm hominem in eo statu vivere, in quo non audeat mori.

Sistite nunc lacrymas, quæso, cohibete querelas
Affines cari. Nam nihil ista juvant.
Quotidie morimur, ceu nostis: Ille putandus
Vivere, qui potis est dicere: *Vivo Deo.*
Fallitur, & fallit longè qui dicit abesse
Mortem: nugatur: negligit inde pia.
Hæc justè cecinit Sacro Vir Flamine ductus,
Ingeniô pollens, & Pietate gravis.
Vita quid est? Umbra est, volucriq́ simillima somno.
At nihil hæc umbra est, somnus itemq́ nihil.
Ergo, quod nihilum est, hoc te perturbat & angit?
Hoc propter nihilum cuncta probare soles?
Sancta Colossensi Populo quid pagina dicat,
Proh homo nil curas! O male sane caput.
In CHRISTO, ecce, uno vita est abscondita nostra:
Nec tu, sed qui in te est, vivit, agitq́ DEUS.

Ergo

Ergo extra CHRISTVM, tua Vita est nil, nisi diri
Vestibulum inferni, morsq́ʒ jucunda tibi.
Vivere, VIRTUTEM *est sanctis extendere factis.*
Felix, cui tale Vita parata modò! (*b*)
Hæc quoniam docuit, praxiq́ probavit Amatus
Affinis; Nemo hinc jam periisse putet.
Præiit is saltem, reliquiq; seqnemur eundem
Ad Vitam æternam, quemq; vocante Deo.

(a) Idq́; :ustissimâ atq; optimâ juris ratione. Vitiis etenim nutriendis qui parcit, misericors non est. Vnde vitiis parcens & favens, tam non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem; & non timet ne vulneratum doleat, vel extinctum. *c.32. Caus. 3.q 5.* Vitia autem se summè odisse probat, qui reprehendit *exorbitantes, eosq́ʒ ad meliorem frugem reducere studet. c. Facientis 3. Distinct. 86.* Et primus innocentiæ gradus est, odisse nefanda *ibid.* Potentiorum verò vitia, tantò pejora sunt, quantò audaciùs Virtutes se esse mentiuntur. *Dd. in c. Sæpe 6. Distinct. 41.* Atq; hinc Boni, fideles & Conscientiosi animarum pastores (*uti p. defunctus, laus Deo, fuit*) non omnibus semper grati atq; accepti existunt. Cum enim ratione officij sui teneantur, non solùm arguere, sed etiam increpare; frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. *text' express. & arg. c. Qualiter & qnando 24. Extra de accusationib.* Qui ipsi, hominibus semper si placerent, *Christi* servi non essent. *Dd, in c. Quod ad nos attinet, Conscientiæ nostræ, frater dare operam, 30. Vers. Nec movere nos debent convicia perditorum, quò minùs â*

nùs à via recta, & à certa regula non decedamus, quando & Apostolus instruat, dicens: Si hominibus placerem Christi servus non essem Distinct 47.

(b) Vt quondam in *Antenoris* verbi sive Patavij (quam moderno tempore vulgo *Paduam* vocant) in circitu templi Divi *Anthonij*, prope *D. Justinam*, cum applausu legi atq; notavi.

Suo Exantlato Laboribus & doloribus
exhausto seni, ultimum sacrum.

NOn secus ut noctem fervens operarius optat,
Post curas duras posse quiete frui.
Non secus ut currens peregrina per ora Viator,
Præpositam metam gestit adire suam
Non secus ut Visus tenebris circumdatus arctis
Gaudet cum amissum lumen habere potest.
Sic FAUSTINE *senex, credo, quod mors tibi præsens.*
Ex morbi longo tempore grata fuit
Nunc Tibi meta viæ, patriæ lux Laurea Phœbi
Nunc Tibi mera quies, atq; quieta dies.
Ad Sponsum properas Christum sponsiq; Parentem
Ad faustos, celebri veste vocare gamos.

testandæ συμπαθείας καὶ θεραπείας
ergo fecit.

JOHANNES ANDREÆ
Padelgar Silesius.

ERgo & militiæ Dux senior sacræ
Curarum varijs fluctibus obrutus
Donec vita manebat,
Nos linquens superos adit?

Cernis Justitiæ ut non sinet, arbiter
Lassari innumeris cladibus ac malis
Credentes. Bonus illis,
Ne toti pereant, adest.

Hoc gustas hominum Regis amabile
Nectar, Præco Dei, Tu domui sacræ
Fidus servus adhærens
Verbum Tergemini DEI

Sparsisti adsiduò non dubiâ fide
Nunc qui terrigenis dividit exitus
Vitæ in limine templi
Te tandem locat ardui.

Hinc lætos placidè ductus ad exitus,
Et mœrore carens non numerabiles
Plausus ingeminare
Et vesci ambrosiâ potes.

Supremi Honoris & Amoris ergo
F.
THOMAS WISMARUS,
Sch. Stet. Sen. SubR.

Viel

VJel härter Kämpff muß halten aus
In dieses Lebens Schrancken/
Jdweder in seinem Beruff voraus/
Davon er nicht darff wancken.
Doch keiner je kan schwerer seyn
auch mehr daran gelegen/
Sich jmmer halten wol darein/
noch Vnmuth gantz bewegen.
Denn in Schwachheit vnd Todtsnoht
Ritterlich auszuharren
Mit frölicher Hoffnung stets zu Gott
Das Hertz sicher verwahren.
Da ist von nöthen rehte wehre
getrost nehmen herzu/
Damit man nicht (nach Pauli Lehre)
vergeblich Streich viel thu.
Sondern des GEJSTS Schwerdt alsbaldt
Ergreiffe starck zu ringen.
Mit Glaubens Handt es feste halt
Durch diese Noth zu dringen.
Wie der Seelig verstorbner hat
nach seiner Arbeit männig
Bey langer Kranckheit mit der That
erwiesen recht beständig.
Darumn er auch vnfehlbarlich

Das Kleinot können erlangen
Dessen sich nun frewen stetiglich
Zum Himmel eingegangen.

Nos decet angustas penetrare, laboribus almas
Cœlorum portas, ceu patet antè satis.
Is tantùm felix qui mansuetudine justâ
Transiit, haut timidè cuncta pericla ferens.
Acriùs ut sensit sua vulnera, suavius illud,
Quô benè sanantur post medicamen erit.
Defunctus quondam sacratâ ex parte Minister
Verbi, quod Zelo protulit Ipse pio.
Certavit *validus, sub munere, prælia sancta,*
Certavitque diu dum gravis æger erat.
Fortiter exuperans certamina bina *per orbem,*
Gloria Vincenti & justa corona datur.

In beatum Defuncti & bene meriti quondam verbi Ministri obitum, brevia hæc honoris causâ posuit.
BONAVENTURA Werthe.

In honorem ultimum
Admodum Reverendi Clarissimi ac Doctissimi
SENIORIS
FAUSTINI BLENNONIS ad Div. Nico
Stetini Diaconi vigilantissimi p. m. placidum beatumq; discessum ex hoc ergastulo paucula hæc deplorans, fecit.

Carmi

CArmine quo possim laudes celebrare per orbem?
Dicas BLENNONIS, *nec sine cordolio!*
Nam pietate fuitq; Fide hic, & Mysta fidelis
Clarus & ingenio, suavis in eloquio
Suavis in eloquio, veritatis semper Amicus
Gloria Theulogiæ BLENNO *decusq; fuit.*
Lege DEI *poterat mentes cohibere malignas*
Et poterat vitam corripuisse malam,
Ex Evangelio poterat solamine tristes
Erigere, & curis corda levare malis;
Erroris etiam dubios taxare potenter
Papæ & Calvini sævior hostis erat.
Ergò quis mactare pios non carmine manes
Vellet, & emeriti concelebrare viri;
Auxilium desertorum, thesaurus egenûm
Extorrium patriô confugiumq; solô
Vixit, nunc patriam repetens nos orbe reliquit.
In quo fert aliquid, quælibet hora mali
Sed benè: vivit adhuc, qui mortem morte subegit,
Is nos è cunctis extrahet unà malis.

BALTHASAR RÜCKEFORDIUS
Studiosus SS. The.

E*Ximium* in vita Te alii dixêre; ego Dico
Cùm jam Mors curis te eximat, *Eximium.*

FRIDERICUS CRAMERUS.

Vidua loquitur.

SI quem vexavit duri violentia Fati
Experta hanc variis quoque sæpe modis.
Mors etenim Patrem rapuit sub flore juventæ,
Altera deinde Parens falce resecta fuit.
Jam quoq; sum misera heu! caro spoliata marito,
Instar dilecti qui Genitoris erat.
Quando igitur cerno, bona quod carissima mūdi
Infirmo perstent instabilique pede;
Ad te jam propero mœstissima, IOVA Fidelis.
Tu mihi in auxilium subsidiumq; veni.
Res commendo meas tibi: tu bene prospice, tu sis
Tutor, tu solus sis Pater ipse mihi.

Votum Autoris.

O DEus alme, tuo reple solamine corda
anxia, quæ variis undiq; septa malis.
Tristitiam lacrymasq; ægras in gaudia verte,
Natis & viduæ sis Pater, oro, piæ.

Condol. ergò apposuit.

GEORG. Schleiff.
Colb. Pom.

EPITAPHIUM

Reve-

Reverendi & Clarissimi Viri,

DN. FAUSTINI BLENNONIS,
ad Divi NICOLAI Ecclesiast.
meritissimi.

CArmen inscriptum tumulo hoc dolendo
Ut legas crebris oculis, viator
Siste. Vir rarâ pietate præstans
Hic requiescit.

Qui fide cætum tuitus piorum,
Qui fuit pastor vigilans, luporum
Turba ne Christi laceraret agnos
Sanguine lotos,

Ergo Res hunc publica morte raptum
Luget! heu conjux miserè relicta
Plorat hunc pastore carens Iehovæ
Plorat ovile!

Lugens apposuit

NICOLAUS HANE
Colberga Pom.